

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis VI. Quoties & quando communicandum?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CATECHESIS VI.

Quoties & quando commu- nicandum?

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. An Fideles omnes teneantur communicare,
hoc est, sumere sanctissimum Eucharisticæ
Sacramentum?
2. Quoties ergo est communicandum ex præcepto?
3. Quoties communicandum ex devotione?
4. Quid est spiritualis communio?
5. Quinam sunt illius fructus?
6. Quando practicanda?

MISCELLANEA.

Cur Communio præcipitur tempore Paschalis
ubi communicandum?

An melius est prævenire Communionem Pascha-
lem?

Quid si quis octo diebus ante morbum lethalem
communicasset?

An qui sumpsit viaticum, denuò potest communi-
care?

An laicus moriens se ipsum potest communicare?

An Eucharistia ad ægrum deferenda, ut eam sal-
tem adoret?

Licetne Infantes, semifatuos communicare?

Q. I.
An om-
nes te-
nentur
commu-
nicare?
Omnes
fideles,
qui, &c.

Quæstio Prima: *An fideles omnes tenean-
tur communicare, hoc est, sumere sanctissimum
Eucharistiæ Sacramentum?*

R. Omnes fideles, qui ad annos plenioris
discretionis pervenerunt, nisi obstat impossibili-
tas, obligantur ad Communionem.

Est de Fide. *Trid. Sess. 10. c. 6.* Nisi man-
ducaveritis Carnem Filij hominis. *Joan. 6.*
v. 54. Et: Hoc facite in meam commemo-
rationem. *Luc. 22. v. 19.* Ubi non solum
Sacerdotibus ut consecrent, verum etiam
singulis fidelibus ut sumant præcipit. Ra-
tio est, voluntas Christi, qui cum insti-
tuerit Eucharistiam ad spiritualem animæ
refectionem, congruenter quemvis fide-
lium obligare voluit sumere Eucharistiam,
ad eundem consequendum effectum.

Q. II.
Quoties
ex præce-
pto?
Saltem
tempore
Paschali.

Quæstio Secunda: *Quoties ergo commu-
nicandum ex præcepto?*

R. Saltem semel in anno, tempore pascha-
li, deinde in articulo mortis.

Prius est præcepti Ecclesiastici, alter-
rum divini; cum enim Christus institue-
rit Eucharistiam per modum cibi, ad
conservandam vitam spiritualem, rectè
concluditur, crebrius sumendam esse,
quemadmodum & cibus corporalis;
cum verò tempus Communionis extra
mortis periculum non determinârit, sed
reli-

reliquerit Ecclesiæ, idcirco considerans Ecclesia, contra quotidiana peccatorum pericula, & tentationes perpetuas præsidium esse præcipuum Sacrosanctam Eucharistiam, ejus usum quotannis semel saltem indixit, circa tempus Paschale, id est, à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè.

Primò igitur ex præcepto Ecclesiastico tenentur omnes communicare quotannis tempore paschali. Estquè obligatio mortalitatis, quia de re gravi. Et negligens Communionem paschalem potest arceri ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus privari sepulturâ Ecclesiasticâ. *Can. Omnis utriusque sexûs. De pœnitentia & remissionibus &c.*

Sed cur hoc tempore præcepta Communionis? Tum, quia eo tempore fuit instituta Eucharistia. Tum, ut propter vivam traditi tunc Corporis & Sanguinis memoriam, devotius eadem sacrosancta Mysteria reciperemus.

Ubi oportet communicare?

In Parochia propria, & à Pastore proprio, nisi alibi communicandi habeatur licentia; tum, ut repræsentetur Communionis illa, quando Apostoli in ultima Cæna à Christo Pastore suo eandem acceperunt; quia decet, ut oves saltem in anno

Primò omnes obligantur ex præcepto Ecclesiastico communicare tempore Paschali.

Cur hoc tempore præcepta Communionis?

Vbi oportet Communicare?

semel

semel à suo Pastore hoc cibo spirituali pascantur.

Quinam excusantur à tempore præfinito, ad Communionem Paschalem, ut videlicet vel anticipare illum, vel differre possint?

Graviter ægrotantes : possunt enim hi expectare tempus restitutionis, quamquam consultius, ut infra legitimum tempus in ædibus suis communicent : item qui absque magna bonorum aut famæ jactura id præstare non possunt. Ex alijs denique rationabilibus causis, quas proprius Sacerdos legitimus judicaverit.

An melius est prævenire, &c.

An melius ex causa prævenire, vel postea supplere?

Non licet prævenire, si quis postea supplere possit; magis enim lex postulat, ut Communio postponatur, quam anticipetur, ne facile quis sibi fingat, se à Communionem tempore ordinario excusari, si quis ergo culpabiliter tunc neglexerit Communionem, tenetur proximè supplere. Theol. Sanct. Gall. q. 5. d. 2.

Secundò obligatur quisque fidelis in articulo mortis?

Secundò obligatur quisque fidelis, vi præcepti divini, in articulo mortis sumere Eucharistiam per modum viatici; ratio : quia præceptum Christi maximè tunc obli-

obligat, quando ejus usus est maximè necessarius, ad obtinendum finem præcepti, qui est conjungi Deo, præservari ab infirmitate, & morte spirituali, & contra concupiscentiam roborari; at numquam est magis necessarium conjungi cum Deo, quam quando quis migraturus est e vita. Hinc Ecclesia omni tempore specialissimam curam adhibuit, nequis decederet, sine Communione, quod evidens est signum, id à Christo in mandatis accepisse. Et habetur in Concilio Niceno, ubi dicitur: Præcipit Concilium de ijs, qui decedunt de corpore, ut antiquæ legis regula observetur, & necessario viæ suæ viatico non fraudentur.

Quid hîc per articulum mortis intelligitur?

Gravis aut periculosus morbus, conflictus in bello, difficile puerperium.

Sed quid si quis tres vel quatuor, vel octo diebus ante mortis periculum sanus adhuc communicasset?

Censendus esset satisfacisse præcepto divino, haberet enim talis Communio rationem viatici; nec refert quòd de morte non cogitârît; nam etiam obligationi quam ignoramus, satisfacere possumus, ut si audiamus sacrum, ignorantes esse diem festum, semper tamen suadendum est.

Quid hîc
per arti-
culum
mortis
intelligi-
tur?

Quid si
quis pau-
lò ante
commu-
nicasset
satisfe-
cissetne
præce-
ptum?

est, ut viaticum sumatur, etiamsi quis primum heri sanus communicasset.

An qui
sumpsit
viaticum
& longius
vivens
denuò
potest
commu-
nicare?

An qui sumpsit viaticum, & longius vivens denuò potest communicare?

In diuturno morbo non semel tantum sed sæpius, etiam non jejunum ex causa communicare posse dixi *Cat. præc. q. 3.*

Quid, si
quis ob
vim mor-
bi sumere
non pos-
sit:

Sed si quis in extremis constitutus ob vim morbi, aut mortem casualem Eucharistiam sumere non possit?

Dico, etsi de hoc præceptum nullum sit, summè tamen consolatorium & utile esse, ut saltem ejus ardens votum excite-
tur; ideòque si casu quispiam de arbore per scalas decidat, aut rheumate suffocatorio opprimatur, postquam modo quo potest, excitavit dolorem de peccatis, etiam desiderium Christi in Eucharistia concipiat. v. g. ô Deus meus. O Jesu mi, parce mihi misero peccatori, doleo de peccatis meis. O Jesu fac me participem sanctissimi Corporis & Sanguinis tui, & amarissimæ mortis & passionis tuæ, quæ & ab astantibus, si qui fortè præsentibus sint, auribus ingerenda sunt. Sanè ex isto desiderio & spirituali Communionem plurimum roboris hauritur.

An quis
carens
Ministro
Euchari-
stiam à
laico su-
mere aut
sibi mini-
strare
possit?

Si quis in mortis articulo ministrum habere non possit, an Eucharistiam à laico sumere, aut sibi ipse ministrare potest?

Assè-

Asserunt Suar. Conins. & alij, exemplo Mariæ Stuartæ, Scotiæ Reginæ, quæ ab hæreticis castro inclusa Eucharistiam in capsula de pectore pendulam habebat, & antequam capite plecteretur, multâ devotione & solatio sumebat; quamquam nonnulli existiment, ad hoc illam privilegium à Pontifice accepisse. Sed

An ægro non valente communicare, ad illam deferenda est sacra Hostia, ut illam saltem adorare possit?

Prohibet id Lugo in *Responsione morali. lib. 1. dub. 11.* Quia sic adhiberetur instar Reliquiarum, minuereturque reverentia tantæ Majestati debita; adde, quod hæc praxis à Pontifice quôque sit interdicta.

Quæstio Tertia: Quoties communicandum ex devotione?

R. Singulis saltem mensibus & festis præcipuis.

Videlicet ad tam eximios fructus participandos, ut quandôque fieri videmus à virginibus, aut viduis probatis, quæ solatium aliud non quærunt, nisi à Christo in Eucharistia; cæterum de hac re optimum erit consulere prudentem Confessarium; Objectiones contra frequentem Communionem vide infra post Exhortationem.

Licetne porrigere Eucharistiam infantibus, semifatuis?

An ad ægrum non valentem communicare deferenda sit S. Hostia?

Q. III. Quoties communicandum ex devotione?

Singulis saltem mensibus & festis præcipuis, &c.

Licetne infantibus semifatuis, &c. communicare?

Licet

Licet: infantes enim sunt capaces Eucharistiæ, & olim in quibusdam locis illis data fuit; præxis tamē modò & consuetudo universalis Ecclesiæ est, ut illa nemini distribuat, nisi post plenioris discretionis aſos; uno videlicet, aut altero elapſo anno; ab acquiſito uſu rationis, qui quoniam alijs tardiùs, alijs citiùs advenit, idcirco communis Regula hæc eſſe ſolet, ut ex ſp. ſtetur, donec ſufficienter ſint inſtructi, & Sacramento debitam poſſint exhibere reverentiam: & quia nonnulli decimo, alijs vix decimo quarto anno inſtructionem congruam admittunt, idè prudentis Confeſſarij arbitrio, alijs citiù, alijs ſeriùs concedenda eſt Communio, non tamen antequam iterum, aut ſæpiùs confeſſi ſint. Cum conſtitutis in articulo mortis Infantibus ſcrupuloſè agendum non eſt, ſed ſi Sacramenti Pœnitentiæ, & extremæ unctionis capaces ſint, etiam communicandi ſunt. Imò docet Layman communicandos, quando poſſunt diſtinguere inter panem uſualem, & Euchariftiam. Caveant ergo parentes, ne metu expenſarum, liberos ſine Euchariftia decedere permittant. Addunt tamen Navarrus, & Sà, excuſari parentes, ob locorum conſuetudinem, quâ infantes ſeriùs ad Communionem admitti ſolent.

Semi-

Semifatuus, si judicentur esse in gratia, danda est Communio Paschalis, & in articulo mortis. Phreneticis quoque si aliquam devotionis speciem ostendant. Theol. cit. q. 5. d. 1. Ratio, quia hi vel maxime videntur opus habere solatio, & robore spirituali, ut qui plerumque sint destituti omni solatio humano.

Quæstio Quarta: Quid est spiritualis Communio? Q. IV. Quid est spiritualis Communio?

R. Est ardens animi desiderium recipiendi Christum in sanctissimo Sacramento.

Si realiter non potes, desidera animo celesti pane refici, & jam refectus es. Tria autem ad spirituales Communiones requiri videntur. 1. Adoratio cum fide. 2. Dolor de peccatis. 3. Desiderium suscipiendi. Credo in te, & adoro te, ô dulcissime Jesu in sanctissimo Sacramento, deleo de omnibus peccatis meis, desidero te suscipere in Cor meum. Veni descende.

Quæstio Quinta: Qui sunt fructus spiritualis Communions? Q. V. Qui sunt fructus spiritualis Communions?

R. Idem, qui Communions realis.

Juxta devotionem spiritualiter communicantis. S. Th. 3. p. q. 90. a. 1. Et Thaulerus in sacris Institutionibus c. 38. Potest quis ubicunque sit, sanus & infirmus, vel militis vicibus in die, aut sæpius, & cum

tanta fidelitate ac devotione, tamque fidenti animo suscipere Christum, ut præcunctis hominibus divina gratia copiosius detur; maximè verò peccatoribus utilis est hæc spiritualis Communio, quia ita communicando non peccant, sed efficaciter potius ad poenitentiae gratiam sese disponunt.

Q. VI.
Quoties
& quan-
do Pra-
cticanda?

Quæstio Sexta: Quoties ergo, & quando practicanda?

Creberrime.

R. Creberrimè.

Ob allegata incitamenta, præcipuè cum transimus, aut intramus Ecclesias, cum adstamus Missæ, aut foris existentes cum Elevationis pulsum audimus, cum alios communicare videmus, &c.

RECAPITULATIO.

DÆc de quæstionibus, quoties & quando communicandum. Summa est (1.) Omnes fideles post annos discretionis tenentur communicare. (2.) Imprimis saltem in anno semel: tempore Paschali: in Parochia propria. Nec licet prævenire, nisi ægris; &c. Deinde in articulo mortis, vel circiter; qui sumpsit viaticum, denuò potest communicare, & quandoque seipsum, &c. Eucharistia non est ad ægrum deferenda, &c. (3.) Ex devotione communicandum singulis saltem mensibus.

Ex

Ex consuetudine non communicantur Infantes, sed semifarui. (4.) Spiritualis Communio est desiderium recipiendi Christum. (5.) Effectus possunt esse iidem, qui Communionis realis. (6.) Frequenter ergo practicanda.

EXHORTATIO.

Discimus primò, speciali industriâ ob-
servare Communionem Paschalem, ut
in dicto tempore, & quam devotissimè ac-
cedamus, specialiter tunc enim aderit Deus
suâ gratiâ, tum propter sacrosanctæ Pas-
sionis & Resurrectionis Mysteria, tum pro-
pter obedientiam Ecclesiæ præstitam, quæ
Deo vel maximè placere solet. Esto igitur,
videatur tempus importunum, avocent
negotia, egestatis prætextus, emendatio-
nis merus, &c, prævaleat tamen salus ani-
mæ, reverentia & amor in Crucifixum,
observantia in Ecclesiam, ut veram Cor-
dis pacem, & solatium consequamur, ut
verè cum Christo resurgamus.

Pænas omittentium Communionem
Paschalem vide infra *in Histor.*

Discimus secundò, in articulo mortis, 2. Et in
collectis animæ & corporis viribus, mul-
tâ humilitate & reverentiâ sacrum viati-
cum

cum sumere, ut ejus virtute roborati non deficiamus in via, sed Christo Duce, & Propugnatore ad beatam æternitatem pertingamus. Si morbi qualitas, aut improvisa mors impediatur communionem, saltem ardentissimum ejus desiderium concipiamus, exemplo Ottonis *infra*.

3. Creber-
rime
commu-
nicare.

Simili-
tudo ac-
cipienda.

A mendi-
cis.

A Merca-
toribus.

A corpore
humano.

A fasce
viridi.

Discimus tertio, quàm creberrimè communicare, ex devotione, ob dicta inciramenta, quæ sunt effectus & fructus ejusdem; ex quibus Patres varias deducunt similitudines, ut hoc ipsum intentum evincant. Quidam imitandos dicunt mendicos, qui eas domos creberrimè visitant, ubi largiores stipes accipiunt; alij Mercatores in exemplum adducunt, qui eas nundinas, ea emporia magis frequentant, ubi plura & certiora lucra expectant; alij ratiocinantur à paritate Curæ corporalis, sicut Corpus humanum ne à calore naturali absumatur, continuo debet cibis refici, ut quod ab una parte de substantia absumitur, ab altera reparetur; sic cum Anima hominis ardore concupiscentiæ continuo deficiat, idcirco crebrius repetendus est cibus Eucharisticus, quo vires animæ reparentur, & spiritualis vita conseruetur; alij à fasce viridi similitudinem perunt, qui ut incalescat, repetitis vicibus in ignem immittendus est; alij à
con-

consuetudine hominum, qui tempore A con-
 pestis egressuri foras utuntur medicinâ suetudine
 præservativâ, aut cum inter hostes ince- hominû.
 dendum, solent sibi providere de armis,
 comitibus, qui hostes deterreant quæ om-
 nia spiritualiter præstat Eucharistia. Vid.
Thef. Prec. l. 5. c. 1.

His igitur & alijs moti incitamentis Primi
 primi Christiani quotidie communicare Christia-
 solebant, teste S. Ambrosio. *lib. 5. de Sacr.* ni quoti-
 Si quotidianus est panis, cur illum post die com-
 annum sumis? accipe quotidie, ut quo munica-
 tidie tibi prosit; quare & factum, ut in bant.
 eadem primitiva Ecclesia plerique Chri-
 stianorum, virtutibus & sanctitate flo-
 rerent; quando autem rariùs postea com-
 municabatur, rarior erat Sanctorum nu-
 merus; demum cum semel in anno, &
 perfrigida Communio fiebat, hæreses
 in valuere, omnia sùsque deque versa,
 contra quas etiam hæreses, efficacissi-
 mum æstimatur remedium, devotus usus
 Eucharistiæ. Verùm quotidianam Com-
 munionem hoc tempore non suadet
 Trident. *Sess. 22. c. 6.* Quia enim multi ob
 varias occupationes, quibus vita huma-
 na implicatur, non possunt se quotidie
 præparare, prout reverentia Sacramenti
 exigit, idèò consultius, ut ab ea quotidie
 sumenda abstineatur. Quoties ergo?

Id tamen
 modò
 non con-
 sultum.

Tempus
decidet
prudens
Confessa-
rius.

Saltem
singulis
mensi-
bus, &c.

Theol. Sanct. Gall. q. 5. dub. 2. decisionem prudenti Confessario relinquit, qui ex statu & conditione personæ rem dijudicet; usus frequentior permitti potest continentibus quàm conjugatis, minùs curis secularibus obstrictis, quàm alijs, prudentibus, quàm alijs. Hinc rusticis & servis, qui Sacramenti dignitatem minùs percipiunt, non plus admittendi, quàm semel in mense, aut tardiùs. Prudentioribus, sed curis sæcularibus distractis suaderi potest Communio menstrua, nec sæpius admittendi, quàm singulis 14. diebus; minùs districtis permitti potest, ut majoribus festis, & singulis octo diebus accedant. Circa fœminas tamen, quæ illusionibus dæmonum faciliùs seducuntur, major cura adhibenda est; pueri verò & puellæ, propter animi levitatem & facilitatem non tam frequenter admittendi quàm adulti, nisi proba institutio, ac maturitas animi, ætatis imbecillitatem suppleant. Merito autem continentibus & Virginibus frequentior usus conceditur, quia cùm careant plerisque solatijs mundi, annon ea jure in Christo quærunt, & inveniunt? Sed jam solvendæ sunt objectiones, quæ contra hæc moveri solent.

Obje-

Objectiones contra crebriorem Com-Objection
munionem. I.

Prima est : Non videri hominem di-Non sum
gnum , ut toties Deum suscipiat. dign' &c.

Sed respondet *Thef. cit.* triplicem confi-
derari posse dignitatem. Primam, qua-Triplex
lem meretur Christi Majestas , sed hæc dignitas
creaturæ est impossibilis , etiam Angelis :
deberet enim esse infinita. Altera est , ut
sit tanta , quantam homini possibile est
adhibere. Et hæc quidem deceret , mul-
tique habuere sancti ; attamen nec hæc
absolutè necessaria est , sed sufficit Tertia ,
quam Christus requirit , ut homo à pec-
catis liber desideret in posterum peccata
vitare , Deo placere , suæque omnia in
gloriam Dei referre ; solum ergo indignus
est , qui invidiâ , odio , &c. infectus acce-
dit , qui alienis bonis per furta , usuras
onustus accedit , qui animo perseverandi
in peccatis , nec deferendi pravæ consue-
tudines , occasiones , &c. accedit : di-
gnus verò est , qui licet grandis peccator ,
attamen plenus dolore , & humilitate ,
præmissâque Confessione accedit , dicit-
que de intimo pectore : Domine non
sum dignus. Hic inquam reverà dignus
est. Quod si insuper te frigidum sen-
tias , cogita non ideò te accedere , quòd
jam calidus sis , sed ut calidus fias , ut de-

vorus fias, ut mundus, sanus fias; ex quo etiam colligis, dilatam Communio-
nem non facere hominem digniorem,
sed crebrius repetitam, quia semper red-
ditur homo magis dispositus; Unde S.
Ambrosius *cit.* Sic vive, ut quotidie me-
rearis accipere; qui non meretur quoti-
die accipere, non meretur post annum
accipere: melius ergo est ex amore acce-
dere, quam ex timore abstinere, ait S.
Thom. Fac quod in te est, & Christus
adjuvabit pios conatus.

Obiectio.
2. Video
plures in-
de non
emenda-
ti.

Secunda. Video plures crebrius com-
municare, & tamen maxime vitiosos esse,
iræ addictos, murmurationibus, invidiæ
obnoxios, &c.

Dico in primis, quid si tu ex illis esses,
de quibus *Lucas 14. v. 1.* Et ipsi observa-
bant eum: aut ex illis, qui festucas vi-
dent in oculo fratris? forsan oculus tuus
nequam est, cum ille bonus sit. Deinde
is hodie mos est, ut maxime bonorum
opera in pejus verti soleant, & levissimi
errores mox adverti, & pro magnis repu-
tari, cum e contra improborum gravia
scelera & quotidiana vix notentur, vel
certè dissimulentur. Nempe, sordes quæ-
libet in aprico videntur, in loco tene-
bricoso non advertuntur; in hypocaufto,
quod continuè mundatur, quælibet mi-
nima

nima segmenta conspiciuntur, in sordidis
verò officinis fabrorum vix trunci, in
quos pedes incurrunt, amoventur; adde:
cū filij lucis sint, eo ipso mox notari eo-
rum defectus, non autem in filiis tenebra-
rum. Denique permittit Deus illis hos
nævos, ut perpetuò sint humiles, dum
vident se ob defectus suos ab alijs notari:
soli enim humiles Deo placent.

Tertia. Sed & ipsi crebrò communi-
cantes dicunt: sæpissimè communico,
nec tamen me experior proficere, sed
eodem semper luto hæreo.

Obiectio
3. Nec
ipse me
sentio
proficere.

Dico impossibile esse, ut non proficiant,
si dignè accedant, propter allegatas ratio-
nes; quòd autem sibi non videantur pro-
ficere, causa sunt modici illi defectus, quos
permittit Deus, ne inflentur, aut desistant
à multo interim profectu, & radicali per-
fectione, quæ est in abnegatione propriæ
voluntatis, contemptu rerum, adhæsiōe
& unione, per puram intentionem cum
Deo, &c. impedire non possunt, sed in
his perpetuò & singula Communione
aliqualis saltem progressus fit. Deinde
quia semper magis defectus suos agno-
scunt, & minimos semper pro majoribus
reputant, ex agnitione majestatis & boni-
tatis divinæ, magnæque in eam ingrati-
tudinis. Sit ergo fixum, impossibile esse,

ut crebrò & devotè communicantes non proficiant.

Objectio
4. Deest
præpa-
randi
tempus.

Quarta. Non habeo otium me paran-
di, impediunt negotia, tam publica quàm
privata, eaque plurima.

Dico, quòd quis graviores sustinet occu-
pationes, eo majori opus habebit auxilio,
& gratiâ, ut eas quàm felicissimè pro Deo,
Ecclesia, Patria, & sua Familia expediat,
ut in maximis negotijs maxima pericula
evadat. Urgent famuli; omnino se im-
pediri, in pervigilijs Sanctorum in seram
noctem ab heris ad laborem compelli,
manè dein vix audirâ Missâ, ad custodi-
endam domum. Sed noverint hi, obedi-
endum magis esse Deo, quàm hominibus.
Noverint animæ detrimentum non esse
faciendum, etsi totum mundum in annu-
am mercedem offerrent, fugiendi tales, &
Dei observantiores quærendi. O felices
famuli, tales heros nacti; qui eos ad opera
pietatis compellant! Felices heri, tales
famulos nacti, quorum prima cura est,
Deo placere. Benedictio Dei super hos.

Objectio
5. Desunt
sæpe
Confessa-
rij.

Quinta. Sed desunt Confessarij, longè
ab Ecclesia disto, & cùm venio aditum
præ turba habere nequeo.

Dico, ecce ubique aperta Confessiona-
lia, ubique Zelosi Pastores, qui ad primam
denuntiationem, adesse pœnitentem, ex
templo

templò manum superpelliceo admove-
re solent, distantiam loci suppleat ardor &
vigilantia matutina; molestia illa & diffi-
cilis ingressus ad Confessionale non est fu-
giendus, significat te verè pœnitentem, &
peccatoribus annumerare te velle. Ipse
Christus inter peccatores accessit ad ba-
ptismum Johannis: imperus quòque il-
le, nec Christo displicuit, quando ad eum
dictum est: Ecce turbæ comprimunt te,
Luc. 8. v. 45.

Quapropter evidenter patet, nullas esse
has causas, sed merè fictitias, raròque con-
fiteutes nomine irreverentiæ celare ace-
diam suam, atque in peccato perseveran-
di animum; reverà enim communicare
omittimus, ne à malo cessemus, &c. *Vide*
etiam infra Cat. 13. quoties & quando confiten-
dum.

Discimus quartò: Communionem spi-
rituallem maximi æstimare, atque ob in-
gentes fructus, devotè & crebrò practica-
re. *Trid. sess. 13. c. 8.* Os meum aperui &
attraxi Spiritum, Eucharisticum scilicet.
Psal. 118. v. 131.

HÆRETICI.

NEstoriani, Armeni, Græci, existimant
nec Infantes salvari posse, nisi reipsâ
sumpserint Eucharistiam, ob id Cerinthia-
nimortuis quòque eam in os ingerebant,
quod

Communi-
care
spirituali-
ter, devo-
tè & cre-
brò.

Nestoria-
ni &
Euchari-
stiam
etiam in-
fantibus
necessa-
riam do-
cebant.

Sed refu-
tantur
praxi
Ecclē-
siæ, &c.

Obije.

quod prohibuit Concilium Carthag. I I I.
can. 5. Et est contra doctrina & praxis Ec-
clesiæ Catholicæ.

Obijcitur: Sicut Christus tam infanti-
bus quàm adultis dixit: Nisi quis rena-
tus fuerit ex aqua. *Joan. 3. v. 5.* Ita æquè
testatus est: Nisi manducaveritis Carnem
Filij Hominis. *Joan. 6. v. 54.*

¶. Negando paritatem; quia Christus
instituit Sacramenta, eorūque præce-
ptum dedit, juxta cujuslibet necessitatem:
at enim Baptismus seu janua ad salutem,
& initium vitæ spiritualis est omni om-
ninò necessarius, ideòque ejus præceptum
omnes tangit. Eucharistia verò cū prin-
cipaliter instituta sit ad conservandas vi-
res animæ & vitam spiritualem, contra
concupiscentiam; parvuli per concupi-
scentiam perdere ea non possint, idcirco
nec mandatum eos tangere putandum est.

Obije.

Obijcitur: Cibus corporalis est simplici-
ter necessarius, ad conservandam vitam
temporalem; ergo etiam Eucharistia ad
conservandam vitam spiritualem.

¶. Ex allegato fundamento, cibus
spiritualis est ijs necessarius, qui in via
possunt deficere, usque dum perveniant
ad rationis usum.

(HISTO.

HISTORIÆ.

Mulier eò quòd quinque hebdomadis non communicasset, arte magicâ, in equam conversa est; quam rationem assignavit S. Macharius, eam pristinae figuræ restituens. *In vit. Patr. c. 19.*

Cùm S. Lurgardem singulis Dominicis communicare solitam, Abbatisa id facere prohiberet, statim morbo fuit correpta, concessâ verò iterum communicandi licentiâ, eodem liberata fuit. *Sur in vita Tom. 3.*

S. Petrus Cælestinus dubitans, num rarior an frequentior Communio Deo magis placeret, ideòque Roman peteret, consilij capiendi causâ, in via obviam habuit Abbatem suum, jam vitâ functum: qui sic eum affatus est: Bene sentis fili, de Augusto Corporis Christi Mysterio, cùm nemo, ne Angelus quidem, illo satis dignus sit, sed non idcirco illud minùs frequenter cum timore & reverentia usurpabis, quibus dictis disparuit. *Ribad. in vita 19. Maij.*

Ad S. Ambrosium ægrotum Honoratus Vercellensis Episcopus, Dei voce ter admonitus accurrit, eique sanctum Domini Corpus præbuit, quo ille sumpto conformatis in Crucis similitudinem mani-

Mulier differens Communionem, in equam mutatur.

Prohibens communionem, punitur.

Crebrius communicare docet S. Petrus Cælest.

SS. Viaticum ad S. Ambrosium jubetur de ferri, &c.

manibus , orans animam Deo reddidit.
Brev. Rom. 7. Decemb.

Id devo-
votè su-
scepit S.
Hierony-
mus.

S. Hieronymus Viaticum sumpturus de lectulo humi se prosternens , saccoque operiri iussit , sicque cum lacrymis & rursus ne pectoris , sacram oblationem hausit.
Daur. c. 5. tit. 13. ex 1.

Et S. Lu-
cianus in
carcere.

S. Lucianus Martyr , cum aliter in carcere & vinculis non posset , super pectus suum sacrificavit , sibi que & alijs Viaticum præbuit. *Ibid. ex. 9.*

Et S. Ni-
colaus
Tolent.

S. Nicolaus Tolentinus in ultimo morbo Viaticum sibi ministrari petens , hanc facti sui rationem dedit : Ut tanto viatico munitus non deficiam in via , ad coelestem patriam profecturus ; & si ob demerita mea , improbus Belial , hostis meus mihi occurrat , possim fideliter dicere ; Dominus mihi adiutor , & ego despiciam inimicos meos. *Ibid. ex. 17.*

Et S. Ebrulphus.

S. Ebrulphus audiens unum fratrem sine viatico obiisse , infremuit spiritu , & orans cum lachrymis interrogavit , utrum vellent Eucharistiam accipere ? aperuit oculos mortuus , & annuit , accepit & exspiravit. *In vit. 29. Dec.*

S. Bonaventura
apertolatre.

S. Bonaventura subito viribus destitutus , in tantum vomitu fatigabatur , ut nihil sumptum retinuerit , nihilominus ex Christiano more valde desiderabat confir-

confirmari sacro Viatico, abstinuit tamen periculi causâ; jussit nihilominus Corpus Domini ad se deferri, ut ejus saltem præsentia lætus, constantiùsque decederet. Allatam ergo pixidem, in qua Corpus Domini portabatur, lateri admoventi voluit, sumendi desiderium indicans, cum ecce latus sub pixide in formam rosæ rubentis aperitur, quâ se Corpus Christi in Cordis ejus intimum immittit, nullo post aperturæ relicto vestigio. Sedulius in *Commentario ad cap. 14. S. Bonav.*

Otto Imperator ad extrema deveniens, Et Otto
ardentissimis votis viaticum desiderabat, Imp. per
sed prohibebat id conditio morbi; in la-
latus &c.
crymas ergo solutus, petijt ab Episcopo Confessario; ut saltem Christus in Ciborio sibi præsentaretur, quod & factum. In-
tuens ergo Imperator Eucharistiam cum
gemitu dixit: Agnosco me peccatorem,
& indignum, qui te recipiam, fateor num-
quam te debitâ reverentiâ suscepisse, ma-
lo etiam exemplo subditis prævisse, non
humillimè, devotissimè accedendo; sed
parce peccatis meis, & intra sub testum
Cordis mei, assiste mihi morienti, & susci-
pe egredientem animam meam, &c. Ecce
dirupto latere Eucharistia de manu
Confessarij occultâ vi, in aperrum Cor
Imperatoris deponitur, moxque foramen
denuo

denuo coaluit ; ipse verò cœu alter Simeon : *Nunc dimittis* , inclamans paulò pòst beatè exspiravit. *Walsing in Hypotigmæ Neust.*

Communi-
cans
spiritua-
liter , rea-
liter Ho-
stiam ac-
cipit.

Conversus quidam videns alios communicare, sibi que id minimè licere, stans contra altare, communicandi desiderio suspiravit. Et ecce pius Dominus, sine Sacerdotis ministerio, de Altari per Sacramentum descendere dignatus est in os ejus, qui mox Hostiam aperto ore ostendens, causamque tantæ gratiæ manifestans cunctos in stuporem dedit, eandem enim Hostiam in Altari defuisse viderunt. *Daur. c. 5. tit. 18. ex. 1.*

Duo fratres Laici Ord. S. Francisci in Conventu Cajetano, devotissimè se ad Communionem paraverant in die Cænæ Domini, sed insperatò jubentur à Guardiano colligere stipem; urgebat enim inopia: abeunt mæsti fratres, redeuntque absoluto jam officio Divino, quare alijs mense assidentibus, isti Ecclesiam adiere Christoque vicem suam cum lachrymis exposuere; cum ecce ex arcula, in qua tunc Sacra Hostia servabatur, conspiciunt prodire Christum eleganti formâ, qui seipsum utrique in Hostia porrexit, iterumque arculæ se immisit. P. Bonaventura Baronius. *Conc. 7.* Qui etiam asserit, vidisse se vestigia

stigia genuum pavimento inpressa, cui fratres geniculati incumbabant.

B. Agartha à S. Cruce quotidie ducenties spiritualiter communicabat. Barry in Hag. intent. 34.

B. Joanna de S. Cruce affirmabat, eadem se gratias in Communione spirituali expertam, quas in reali. Idem. die 10. med. 2. in solit.



CATECHESIS VII.

De Sacrosancto Missæ

sacrificio.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quid est Missa?
2. Unde nôsti, in Missa consecrari & offerri verum Christi Corpus & Sanguinem?
3. Quando instituta est Missa?
4. Quo fine?
5. Quodnam est discrimen inter sacrificium, quo Christus offertur in Missa, & sacrificium, quo Offerebatur in Cruce?
6. Cui licet offerre sacrosanctum Missæ sacrificium?

MISCELLANEA.

Quid innuit nomen Missæ?

Quid est verum sacrificium?

Q

Quis